

THEOLOGICÆ POLEMICÆ

IN

Controversiis maxime Novis

EXPLICATIO,

QVOD ATTINET

Locum III. & IV. Systematis

DE

CREATIONE ET
ANGELIS,

DE HIS

SUB PRAESIDIO

D. PHIL. LUDOV. HANNEKENII,

Theologiae Profess. & Eccles. Consist. Assessoris,

AD CAPESSENDAM SUMMORUM

IN THEOLOGIA HONORUM

LICENTIAM

SECUNDUM MOREM ACADEMICUM

SOLENNITER DISPUTABIT

M. IO. HIERONYMUS de WEDIG,

Templi Parochialis VVittenbergensis Archi-Diaconus,

D. XXI. APRILIS M D C C V.

Horis ante- & post-meridianis.

VVITTENBERGÆ, Typis exscripsit GERDESIUS.

coll. diss. A
75, 15

24. A. 175 (15)

~~XXXIII. 77~~

47

182

A. M. 7
THEOLOGICAE POLIEMICAE

In
Controversiis maxime Novis

EXPLICATIO

QUOD ATTINET

Locum III. & IV. Systematis

DE

CREATIONE ET
ANGELIS

SUB
RESPICIO



PHIL. LUDOV. HANNIKENII

Theologic. Prof. & Eccl. Cons. A. S. S. S.

AD CAESARENDAM SUMMORUM

IN THEOLOGIA HONORUM

LICENTIAM

SECUNDUM MOREM ACADEMICUM

SOLENNITER DEFENSIT

IO. HIERONYMIUS DE WITDIG

Mag. theol. & theol. Prof. Arch. Diac.

D. XXI APRILIS MDCCLXX

Hofens. & Conf. Mag.

WITTEBACAE, Typograph. GERDINGII



Post disputatum nuper in Theologia Polemica nostra *Locum I. & II. Systematis*, sequitur nunc Disputatione Inaugurali ventilandus *Locus III. & IV.*

DE CREATIONE

PRIMO.

Thes. I.

DEUS est Creator mundi, & ex Creatione cognoscitur DEUS, seu potius ex rebus creatis *Rom. I. 20.* Ergo ex natura etiam agnoscetur DEUS esse Creator, sed admodum est obscura ea creationis agnitio, quæ ad productionis modum & ordinem non extenditur; Ideo Philosophis gentium identidem negatur, quantum attinet ad modum veritatis, quo credenda est facta esse creatio; *Scholastici ex lumine na-*

A 2 *turæ*

104
tura ostendi eam posse inficiantur. *Aristoteles* docuit, mundum per naturæ principia nec habere initium, nec finem; quærunt inde Eruditi, an affirmaverit, mundum esse æternum? Docuit certe materiam primam esse increatam; si igitur docuit, mundum non esse increatum, non protinus docuit, eum esse æternum, qui sit factus ex materia prima. At vero tam est absurdum, materiam primam statuere increatam, otiosam & independentem a DEO, ut *Plato* voluit & *Cartesiani* contendunt, quam dicere, mundum esse æternum, & esse ipsum DEUM, ut *Plinius* deliravit L. II. *Hist. Nat. C. I.* cujus hæc sunt verba: *Mundum, & hoc, quod nomine alio Cælum appellare licet, cujus circumflexu leguntur cuncta, Numen esse credi par est æternum, immensum, neque genitum, neque interiturum unquam, cujus extera indagare nec interest hominum, nec capit humana conjectura mentis. Sacer est, æternus, immensus, totus in toto, imo vero ipse totum, finitus & infinito similis; omnium rerum certus, & similis incerto; extra intra cuncta complexus in se, idemque & rerum naturæ opus, & rerum ipsa natura, quæ est vanissima Philosophorum gentilium Theologia; Quando in sublimibus Mysteriis evolare extra cœcitatem suam voluit, non potuit alia proferre, quam sibi ipsi contradicere. Annon sunt hæc in Schola Divinæ revelationis plus quam puerilia, ad quæ & *Plato* & *Aristoteles* & *Plinius* deflexerant. Si creator est mundi DEUS, non potest esse materia prima æterna; & si materia prima est æterna, jam mundus ratione principii sui est æternus; si igitur est æternus, DEUS est; Duo ita erunt Dii æterni. Et si mundus est DEUS, sui ipsius*

ipfius fabricator, & æternus erit mundus, & mon-
 ftrum machina mundi, quæ DEUS fit & creatura.
 Eo dilabuntur homines in Myfteriorum Divinorum
 investigatione; cum revelatione Divina carent. Ma-
gnum est Myfterium creatio mundi, quod adeo extra
revelationem non potefit cognofci. Contra antiquo-
 rum *Philofophorum* communem fententiam, hodiernos
Cartefianos & fimiles, perperam omittentes neceffa-
 rium difcrimen in Articulis fidei, *inter* principium eo-
 rum fecundum revelationem, & *inter* quoddam ex
 imagine DEI refiduum obfcurumque lumen.

Thef. II.

Omnes tres perfonæ S. S. Trinitatis funt Creator
univerfi, non per focietatem actionis, fed per effen-
tia unitatem, unamque Omnipotentiam Ef. XLIV. 24.
 Si caufæ fociæ effent, poffent dici tres Creatores, quod
 abfurdum eft, tres autem creantes poffunt dici, per
 participationem unius potentia, uti tres testificantes
 in cœlis *1. Job. V. 7.* Contra nonnullos Reformatæ reli-
gionis Doctores, qui fanctas perfonas caufas focias di-
 cunt creationis. Patri tamen appropriatur creatio in
 Symbolo Apoftolico, ob difcrimen personale, perfo-
 næ primæ, fecundum opus externum, quemadmo-
 dum & perfonæ ceteræ a fe invicem diftingvuntur;
 Ut Filio Redemptio, Spiritui S. Sanctificatio; Ita Patri
 creatio tribuitur. Imo cum creatio fit primum opus,
 quo fe perfonæ Patris per VERBUM feu Filium omnia
 condens *Job. I. 3.* manifeflavit, inde non conficitur,
 Patri tribuendam effe creationem κατ' ἐξοχήν, uti qui-

A 3 dam

59
dam *Reformati* Doctores loquuntur. Esse autem creationem opus Omnipotentiae Divinae, manifeste docetur *Es. XL. 12. seqq. XLIV. 24. Ps. XXXIII. 6.* Contra *Haereticos veteres & Judaeos*, qui ab Angelis mundum conditum esse deliraverunt. Hic disputant *Scholastici* de potentia communicandi, seu de potentia communicata creaturae, qua valeat ad creandum. *Durandus* apud *Rhadam* in secunda sententiarum *Part. II. p. 34.* asserit, potentiam creandi posse communicari creaturae, ut causae principali, non quidem secundum totum suum ambitum, sed ad particularem aliquem effectum. Idem sentit *Avicenna*. *Rhada* autem notat, agere principaliter, duobus posse modis contingere, (1.) excludendo omnem causam superiorem, (2.) per propriam formam & agentem intrinsecam, licet in agendo subordinetur causae superiori. *Lombardus* autem tradit, potentiam creandi posse esse in creatura, ut causa instrumentali, non principali. Finiant illi homines suas lites per semet. Cum sacrae Scripturae consuluntur, tacent de communicatione potentiae creandi, quae possit fieri, aut facta sit nudae creaturae. Assumpta autem in personae Divinae unitatem Humanitas Christi, Omnipotentia Divina donata traditur, extra quam elevationem de sola creatura tale nil docetur; contra inanes subtilitates *Scholasticorum*. Notant Philologi Hebraei, verbum ברא in *Kal* soli DEO tribui, & notare opus Omnipotentiae Divinae; secus hic fit in vocabulo Graeco, κτίσειν, & Latino, creare, quae latius etiam de creaturis usurpantur.

Thes.

Oeconomia creantium personarum describitur
*Pf. XXXIII. 6. Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu
 oris ejus omnis exercitus eorum.* Ubi *Verbum Hyposta-
 ticon*, substantiale intelligitur, in relatione ad Patrem
 qui per Filium omnia fecit *Job. I, 1. 3.* & Spiritus Sancti,
 oris Patris & Filii Spiritus, aquis incubans, seu vitali
 fomento eas inumbrans, quod Vulgatus vertit, *fere-
 batur super aquas Gen. I. 2.* Subintelligendum tamen
 etiam est *Verbum mandati*, seu Omnipotentis volun-
 tatis expressæ, cum DEUS jusfit *ex non apparentibus
 prodire, quæ videntur*, antea nec DEO visa, i. e. *quæ ni-
 hil erant*, *Hebr. XI. 3. Et ex tenebris venire lucem 2. Cor.
 IV. 6. juxta Psal. XXXIII. 9. Dixit, & facta sunt.* Illa
 igitur non apparentia non dicuntur ita, quod non
 viderentur, ut vellent *Sociniani*, sed ut *Grotius* expli-
 cat *ὡς ἂν ὄντα*, quæ prorsus non essent *2. Maccab. VII.
 28.* Ita necessario mundus incepit esse, nec potest te-
 neri opinio *Jesuitæ & Cardinalis Toleti*, non implicare
 contradictionem, *mundum esse æternum.* Si enim mun-
 dus statueretur esse æternus, fallunt Scripturæ S. &
 tota perit ratio fidei. Inde patet, quomodo Articulus
 de origine mundi non prorsus sit excludendus a
 necessario credendis Dogmatibus, cum Scripturæ
 eum diserte asseruerint; Ubi tamen aliud est *ignorari
 posse articulum hunc* a multis salva salute, qui *a nullo
 potest negari* salva salute.

Thes.

Thes. IV.

Jam supra audivimus ex *Plinio* & Philosophis aliis, ex hoc Articulo vane explicato confusaneam admodum notitiam DEI naturalem; Cui compar est distinctio nonnullorum, inter *infinitatem perfectionis* & *durationis*; Et inter *infinitum extensione* & *perfectio- ne*. Mundum, dicunt, infinitum esse *duratione* & *ex- tensione*, non *perfectio- ne*; Cum quod *duratione* est in- finitum, sit necessario tale *perfectio- ne*; Itidem quod *extensione* est infinitum, ei nil possit addi vel demi, quod certe etiam est *perfectio- nis*, contra *Jesuitas* nonnullos, & *Cartesianos*.

Thes. V.

Ad modum creationis, revelatione cognitæ, per- tinet, quod opera sex dierum fuerint momento jus- sionis seu mandati & dicti, citra motum & moram temporis producta. Quam *Cartesiani* controversiam nullius momenti esse existimaverunt; ut problema- tice disputant, dubitari posse de existentia DEI; ita haud immerito dubitari posse, an in momento dicti omnia sint creata? Certe si DEUS motu & tem- poris mora indignisset ad res producendas, jam ali- unde illæ dependissent, & non ex solo nutu & facto DEI. Quo pertinent illa *Ambrosiana* in *Explicat. He- xaëmeri* L. I. c. 12. *non ideo dixit, ut sequeretur operatio, sed dicto absolvit negotium.* Unde pulchre Davidicum illud: *Dixit, & facta sunt*, innotescit, quia *Dictum im- plevit effectus*; scilicet quantocius voluit, fecit, & fa- ctum

Etum voluntatis expresfit dictum operantis. Contra inanisfimam *Cartesii* gloriam, jactantis, si materia & motus sibi detur, alterum mundum huic similem se facile creaturum; quam facile scilicet *Archimedes* olim totius orbis machinam loco moturum se promittebat, sin punctum nancisceretur, in quo pedem figeret. Tam sunt svavia philosophantium somnia, & tam miraculosa, ut miracula DEI negent & sua substituunt. Placuit DEO intervallo sex dierum omnia creare, sed quæ creavit, absque motu physico Omnipotenti voluntate in momento evenerunt. Et in creatione Adami, Evæque productione non debet fingi successio operis per motum & tempus, etiamsi alia post alia, & alio tempore fuerint producta. Quod enim DEUS instar figuli & opificis dicitur fecisse *Adamum & Evam*, non debet ad agentium ita hominum modum exigi, sed similitudo tantum in effectis ostendi; uti DEUS hortum in *Eden* plantavit, non variis hortulani opificiis, sed similitudine operis producti. Sinemus tamen alios hic aliter sentire, modo absit *Cartesiana* philosophia, & teneamus, in creatione, ad quam pertinent opera primi sextidui, DEUM non indiguisse motu & mora temporis.

Thes. VI.

Indigesta moles primo creata, mixtura fuit ex cælo, terra, aqua & aëre, expressa *Textus S. con-*
nexione: In principio creavit DEUS cælum & terram;
terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super
faciem abyssi: Et Spiritus DEI incubabat super faciem a-
 B quarum.

112
quarum. Si igitur summa creationis verbis initialibus, de creato cœlo & terra esset intelligenda, ut *Grotius* vult & alii, non tamen deberet aliter, quam in congerie adhuc confusa intelligi. Deliria *Hermogenis* & *Materiariorum*, DEO materiam coæternam, unde creata sint omnia, adstuentium, merito repudiamus; nec est inanis hic, ut sæpe alias, Theologia *Episcopi Lib. 4. Instit. Sect. 3. c. 1.* *Si materia, inquit, prima esset increata, Deoque coæva, DEUS nihil potuisset ex illa creare; Non enim habiturus fuisset jus introducendi formam in illam, nec ullam introducere in illam, æternam quippe, nullius mutationi obnoxiam, potuisset.* Ita scilicet se ipsa convellit & confutat Veritati Divinæ adversa Philosophia. Aeternum quippe nil est præter unum DEUM, nec potest dici jus esse æterno in coæternum, nec potest dici, alteratio convenire æterno, nisi cum contradictione ipsius rei.

Thes. VII.

Integro sextiduo omnem creaturam esse conditam & absolutam, dies septima, quietis Domini, seu cessationis a factis operibus, infallibiliter arguit. Sextiduum id recte dividitur in duplex triduum, ut priori dicatur distinctio confusarum antea rerum evenisse; prima scilicet die cœlum cum luce sua divisum est, secunda expansum divisit aquas superiores & inferiores, tertia aquæ separatae a terra sunt, & immixtus illis, in solutiorem locum expansi, diffusus est aër, unde, & in quo motus esset omnis creaturæ. Posteriori triduo datus est ornatus, & ita quarta die cœlum accepit

pit

pit stellas; quinta piscibus aqua; sexta aër avibus stagnavit. Esse tamen in distributione rerum multas adhuc & inextricabiles difficultates, rationem salutis nostræ non concernentes, non diffitemur, in quarum scrutinio & examinatione salva Doctrinæ analogia divortia opinionum arbitrantibus relinquimus. Rejicimus autem & reprobamus, (1) omnia esse simul creata absque temporis intervallo, ut cum *Philone Augustinus* & alii censuerunt, decepti forsan loco *Ecclesiast. Cap. 18. v. 1.* ubi in Græco legitur, omnia esse condita *κονῆ*, non *ἀμα*, i. e. *collectione* operum, non temporis unitate. (2.) Creationem cœli & terræ diu ante eorum perfectionem ac ornatum extitisse, ut placuit *Arminianis*. (3.) Evam die septimo esse factam, quæ fertur esse quorundam *Judaorum & Ambrosii Catharini* fabula. (4.) non cœlum cum motu perenni, sed terram ita esse conditam, quæ novorum *Mathematicorum* hypothesis salva Scriptura possit recipi; cum nil debeat per analogiam fidei recipi (i. e. analogia fidei ita postulante) Scripturis disertis contrarium, uti *contra Scripturam est*, cœlum quiescere & moveri terram. Habet quidem illa Hypothesis plausibilia per machinam admodum eruditam, & in Oculos incurrentem demonstrationem, argumenta; Ceterum id quod affabre fingitur, non debet ut verum ostentari ad diruendum id, quod infallibili fide Divina aliter demonstratur. (5.) Porro rejicitur, die prima creatum esse cœlum Empyreum, quod sit beatorum sedes, & tertium cœlum dictum *Paulo*; cum empyreum id sit figmentum cerebri, & nusquam in Scripturis doceatur *beatorum cœlum ut locus creatus ab initio mundi*, quod adeo

nec *Paulus* tertium potuit vocare, qui Ecstasi sua non raptus est in locum supra cœlum stellatum, sed in auditorium indicibilis gloriæ, ubi Christus ad dextram Patris, desiderantem eo evehi Apostolum informabat. Conf. *Hebr. VIII. 2. Cap. XI. 10. Cap. XII. 28. Apocal. XXI. 1.* ubi negatur cœlestis Sion esse manibus DEI, i. e. creaturæ modo facta; imo dicitur cœlum creatum interiturum esse, & oriturum novum, quod creari non debeat, sed advenire beatis, ut æterna illorum mansio; templumque quod ipse sit futurus Omnipotens Dominus. (6.) Diem secundam carere benedictione solenni, quod aut infernus tum sit conditus, aut Angeli eo sint lapsi aut cum voluerit DEUS in diem sequentem benedictionem ejus differre, quo terra prorsus ab onere aquarum liberabatur, cum secundo adhuc eo gravaretur.

Thef. VIII.

Finis ultimus Creationis est gloria DEI; intermedius autem creaturarum intellectualium, Angelorum & Hominum, utilitas & salus. In Hominis enim usum tantum condita omnia dicere, derogat eminentiæ Angelorum, qui & per se ob gloriæ Divinæ celebrationem, & propriam beatitudinem sunt creati. Quod enim in ministerium Hominum conceduntur, non pertinet ad dominium hominis in creaturas, sed ad dispensationem Domini supremi, exercitus hos Cœlestes in subsidium & custodiam fidelium hominum mittentis & ordinantis; quod ministerium non sibi fieri censebunt fideles, sed suo Domi-

Domino, cui & ipsi & Angeli ut Conserui seruiunt, *Psal. XCI. 11. Apoc. XIX. 10. Cap. XXII. 9.* quæ tamen & ab aliis aliter explicantur; nobis autem ita sentire, cum aliis tutius videtur & firmitus.

Thef. IX.

Religio hominis integri a concreata imagine DEI dependens ipsi vere erat naturalis, uti cultus DEI erat Angelis in DEI gloriam creatis. Toto cœlo causarumque conditione differt a religione hominis post lapsum, per quem nil remansit naturæ, unde vere DEUS coli posset. Est igitur cerebri humani commentum, religionem dari nunc naturalem, quæ hominem faciat beatum, ut volunt *Naturalistæ*; aut saltim ipsum sufficienter officii sui erga DEUM commonefaciat, licet eum non salvet, ut *Arminiani* sentiunt, vid. *Limborch. L. I. Theolog. Christ. c. 1.* quorum & falsa est hypothesis *religionem sua perfectione per gradus crevisse*, & DEUM suam voluntatem non statim plene, sed per gradus patefecisse. Primo enim DEUM monita quædam generalia præscripsisse, quibus homines officii sui commonefierent; Deinde fœdus pepigisse cum Abrahamo; postea per Mosen Israëlitis dedisse legem; tandem plenissimam suam voluntatem per Filium unigenitum, in temporis plenitudine, revelavisse, quo pertineat dictum *Hebr. I. 1.* ubi dicitur DEUS *πολυμερῶς* seu per varias particulas, non simul & semel, Patriarchis esse locutus. Per quam assertionem nil habuissent Patriarchæ de salutari scientia Christi, & salvati fuissent scientia alia, & modo

B 3.

alio,

alio, quam quo Christiani salvantur; quod vanissimum dogma toti rationi humanæ salutis adversatur, & supra confutavimus. Dictum *Hebr. I. 1.* non docet imperfectionem cognitionis salutaris per partes auctæ, sed multiplicem gratiosi Evangelii de femine Benedicto in variis umbris typorumque modis (qui per particulas quasi & certa membra præfigurabant futurum corpus totum) repetitionem & inculcationem ostendit, uti adjectio per *πολυτρόπως* declarat, quæ opponitur clarissimæ revelationi, & unius modi, per Filii manifestationem.

DE ANGELIS

SECUNDO.

Thes. I.

DE creatione Angelorum nil meminit *Moses*, cui propositum erat aspectabilium creaturarum historiam tradere, earumque Regem, Hominem singulari consilio operaque DEI conditum in Theatrum producere. Sunt tamen Doctores, qui sub condito omni cælorum exercitu *Gen. II. 1.* Angelos etiam intelligunt juxta denominationem eorum *1. Reg. XXII. 19.* Alii in luce primigenia simul indigitatos esse opinantur perperam, cum Lux primigenia fuit substantia materialis, seu corpus lucidum & luminosum, materia solis & stellarum, quales non sunt Angeli. Sed & prior sententia supponit Angelorum locum esse cælos creatos, quod Scripturæ nusquam docent, quæ nã æternæ beatitudinis cœleste vocant, non a creatis,

creatis,

creatis, sed increatis cœlis, unde Christus descendit, & ad quos ascendit collocatus ad Dextram Majestatis, uti supra explicavimus. Contra Reformatos & Arminianos, qui ex creatione cœlorum deducunt argumentum, pro creatione Angelorum, ne cœli scilicet incolis carerent. Creatos autem a DEO esse argumenta Scripturarum & sanæ rationis, ex Scripturis de illorum existentia informata, satis comprobant; Æterni enim forent & coæterni DEO, sin creati non essent, quod omni modo & revelationi & lumini naturali adversatur. Ubi miranda est cœcitas Judeorum, qui Sadducei dicebantur, negantium, Angelos esse substantias veras rationales, quorum tam crebra est in Scripturis, ut Spirituum ad mandatum Domini apparentium, mentio & commendatio. Perhibentur sensisse Sadducei, esse vel affectus humanos, qui Angeli dicerentur, seu meras phantasias cerebri humani, seu virtutes DEI inseparabiles, quas DEUS pro lubitu ex se emittat, retrahatque ad se; quæ tota sat insulsa est, & occœcatis digna, Theologia.

Thes. II.

Nos ex Scripturis credimus, Angelos esse Spiritus, & substantias immateriales, unde substantiæ materiali, & connotationi corporeæ, denominatione hac naturæ suæ, qua Spiritus audiunt, opponuntur. Corpus enim non est Spiritus, & Spiritus non est corpus. Vid. *Hebr. I. 7. 14. Luc. XXIV. 39.* Ad quem locum perperam admodum est philosophatus nuper quidam Politicus, Diabolum non posse apparere in assumpto corpore,

corpore, quia Christus dicat, Spiritum non habere corpus & ossa; quæ quam vana sit, sed *Pietisticis* conclusionibus admodum amica collectio, vel pueri viderint. Christus enim opponit Spiritui assumptæ humanæ carnis suæ veritatem, qualis certe in assumptis per artificium Satanicum corporibus non invenitur; habent illi sua corpora, sed assumpta ad tempus, & in ludificationem apparentia. Quale corpus erat assumptum, quod in imagine Samuelis ficta producebat venefica Endorea. Hæc sunt commenta virorum, qui in religione vera se nil posse utilius præstare credunt, quam turbare fideles. Ceterum DEUS veritatis hos mendaces Spiritus ridet, & vere fideles ejusmodi contradictiones contemnunt. Angeli boni in *loco ad Hebr. allegato* ministratorii dicuntur Spiritus; Et mali Spiritus dicuntur ejecti a Domino *Matth. VIII. 16.* inde solidissima corpora penetrabant, quod est proprium veri Spiritus, nec proprie sunt in loco, uti corpora per circumscriptionem, sed determinate & definitive, & multi in uno corpore dicuntur fuisse. *Marc. V. 9.* Ubi tamen vitandas esse censemus *Scholasticorum* tricas, asserentium, Angelum in puncto Mathematico indivisibili esse posse. Quid enim attinet talia disputare? Quales nugæ sunt *Cartesiane*, angelos esse substantiam cogitantem, & naturam totam ipsorum in cogitatione consistere; Ita variantes Angeli cogitationes variabunt essentiam, & Diaboli essentia, qui nil nisi mala cogitat, mala erit, imo nusquam, quia cogitatio non est substantia, quæ sit alicubi, sed cogitans nusquam est.

Thes.

Ab Essentiæ Spiritualitate habent immortalitatem *Luc. XX. 36.*, varia pollent, ut substantiæ intellectuales, scientia & singulari linguarum præstantia *1. Cor. XIII. 1.*, Libertate agendi, ut sub sanctæ legis vinculo Creatori obligati. Robur ipsorummet potentia magna est & stupenda, ut ex operibus eorum patet in vindicta DEI usurpatis. Agilitas itidem est admiranda, quæ tamen intra sphæram ipsorum est determinata. Numero fere sunt innumerabiles. *Dan. VII. 10. ad Hebr. XII. 22.* Abusi quidam, & quidem bene multi libertate sua non tenuerunt, rectitudinem concreatam, & domicilium integritatis *Epist. Jud. v. 6.* qui Spiritus mali dicuntur & immundi, secuti suum in peccato lapsus principem & patrem mendaciorum; catenis vincti protinus tenebrarum, æterno igni refervantur, incorrigibiles in malo omni, & varia hominum seductione Spiritus. Frustra quæritur, an in eo vindictæ irrevocabilis Divinæ statu positi, possint bene aliquando agere, si velint; tota ipsorum voluntate in pertinaciam incessantem, & vel sub specie bona fallentem inclinata, & tantum non præcipitata. Contra Sadduceos antiquos & novos, & qui hodie in assumptis corporibus apparitiones negant Angelorum; Et contra Arminianos & Chiliastas, qui vellent aut excusatam quadantenus illorum malitiam, aut tandem, poena DEI ab ipsis sumpta, finiendam, quo modo & ipsi tandem salventur, tota scilicet creaturarum natura ad integritatem primam restituta; De qua catholica restitutione nullus apex est in Scripturis. Christus

C

dici-

dicitur restituere omnia in cœlis & terra variis locis,
& tota officii sui ratione; at in inferno nil dicitur re-
stituere; ideo & ex inferno nulla est redemptio. Con-
tra *Fanaticum novum Origenistam, aeterni Evangelii men-
dacissimum Prædicatorem.*

Thef. IV.

Boni Angeli in statu suo bono nunc ita, post eje-
ctum cœlis Satanam cum fociis, sunt confirmati per
gratiam Creatoris, ut beatitudine sua nequeant exci-
dere, in visione DEI gloriosa, post servatum in re-
bellione aliorum domicilium, continuo viventes
Matth. XVIII. 10. A confirmato hoc statu non possunt
deficere, sanctitati dediti incessanti suorum officio-
rum, quæ obeunt ex conditione confirmati in bono
status, adeoque secundum naturam status illius, quam
infert visio DEI gloriosa, non ex ratione, ut erat con-
firmatus status secundum promissa & minas legis.
Jam enim minæ non amplius attenduntur, cum libe-
ra in agendo voluntas tantum in bonum fertur, nec
potest porro in malum inclinare. Non est igitur a
pietate religionis Christianæ alienum, docere, confir-
mationem Angelorum in bono præmium esse illo-
rum obedientiæ, præmium scilicet gratiosum, quod
DEO placuit dare victoribus damnabilium tentatio-
num. Contra *Arminianos.*

Thef. V.

Angeli non cognoscunt res per essentiam suam;
Essentia enim eorum non est causa vel imago rerum.
DEUS autem cognoscit per essentiam, cujus esse est
cognoscere, & cognoscere est esse; in creatura autem
esse & cognoscere distinguuntur. Ita ut in corpo-
ra

ra

ra elementaria & sublunaria valide operentur, ipsosque sensus internos externosque possint movere, & excitare vel ligare; in facultates tamen animæ superiores immediate nil possunt, qui menti non illabuntur, nec cogitationes animi perferunt, quæ sunt Divinitatis reservata. Aliud est, posse eos diversarum rerum species & phantasmata per sensus objicere. In his quæ operantur, influunt causaliter & effective, non tantum ut instrumenta moralia influunt, uti homines & creaturæ aliæ adhibentur miraculis edendis, ad quæ ipsæ nil conferunt, quod effectum causaliter producat. Commentum est ingens Philosophiæ *Cartesiana*, Angelos non alio sensu operari, quam quod posita tali illorum voluntate, aliud sequatur in creaturis, quod tamen totum quoad suam realitatem DEUS efficiat. Ita scilicet causa prima dependebit in operando a voluntate secundæ; & DEUS in malis actionibus blaspheme audiet effector malorum.

Thes. VI.

Angeli non generant, & sexu non distinguuntur; *Fabula* igitur de *Gigantibus* primi mundi ab Angelis procreatis, & quæ de *Dæmonibus incubis succubisque* nonnulli *Papistæ* somniaverunt, suis Auctoribus relinquuntur. Ubi enim non est corpus physicum, ibi non potest esse generatio, nec distinctio sexus. Spiritus non habet corpus. Quæ *Arias Montanus* in suo *Bezaleel* tradidit de *Cberubinibus*, in *Arca fæderis* sexu discretis; *Rabbini* vel in intellectu agentis vel patientis, vel de Angelis superioris ordinis in inferiores explicaverunt, ea omnia cum aliis dimittimus.

ADDITIONES

Ad

Locum III.

DE CREATIONE.

Thes. I.

Creator certe cum creatura non est confundendus, neque enim creatura est portio DEI, nec DEUS in creatura subsistit, etiamsi creatura dicatur *in ipso esse, vivere & moveri Act. XVII.* quod pertinet ad potentissimum ejus regimen & universalem apud creaturas præsentiam. *Manichæorum* delirium antiquum id fuit, esse compositionem DEI & creaturæ; a quo non admodum sunt alieni, qui non satis distinguunt præsentia Divinæ modos, cum audiunt ex sacra Scriptura præsentiam unionis personalis & unionis Mysticæ & gratiosæ, qui modi omnes ex *Manichæorum* errore
etiam

900.
etiam dicerentur compositio creatoris cum
creatura. Creaturæ sunt extra suum Crea-
torem, licet ipsis tam extra, quam intra eas
secundum præsentiam universalem præsen-
tissimum, id est, sunt extra ejus essentiam,
vel sunt aliquid ab eo diversum, quemad-
modum ipse est diversus ab illis, ut verissi-
mum maneat axioma: Creator non est crea-
tura, & creatura non est creator, quod ta-
men axioma in Mysterio Unionis persona-
lis in Christo, per quam assumpta caro, ut
creatura creatoris, evecta est in majestatem &
potentiam creandi, quomodo certe creatura
est creator, sed gradu præsentia & unionis su-
pra omnem naturam posito, non procedit.

Thes. II.

Mirum est, *Hominem Philosophum &*
Christianum potuisse in ejuscemodi errorem
delabi, ut statueret, S. S. Trinitatis personas
esse causas socias creationis, cum societas
causæ in naturalibus importet inæqualitatem

C 3

agendi

agendi, & bigis quadrigisque plus roboris
tribuat merito, & plures in tractu vires, quam
equo uni trahenti currum, quandoquidem
hi ex societate & conjunctione virium sepa-
ratarum agunt, qui currum trahunt, equi,
qualis societas certe abominabili philosophia
in S. personis agentibus cogitaretur. Excu-
sent hic modum loquendi, quem distingven-
dum censent a re ipsa, quomodocunque ve-
lint, nunquam tamen a nociva impuritate
poterit absolvi.

Thes. III.

Quæri hic potest, an in ejusmodi dis-
sensionibus modorum loquendi, (quos in
Reformatis nostri Doctores censent *dis dia*
πασῶν distare ab Augustana Conf.) possit
fieri communionis seu Doctorum ejus con-
fraternitas spiritualis? Resp. modos loquen-
di apud *Reformatos* Doctores necessario esse
distingvendos: Alii enim sunt, qui excide-
runt forte fortuna alicubi, & quos ad analo-
giam

901.
giam illorum socii conantur reducere; Alii
sunt, qui directe pugnant cum revelata ve-
ritate, & disertis ejus verbis; In prioribus
posset per Christianam charitatem condonari
lapsus, præsertim præfracte non defensus.
In posterioribus tam nulla potest esse ratio
communione spiritualis, quam non potest
verum cum falso componi, & in unum re-
digi, quod esset nonnisi monstrosissimum
aliquod in omni sano judicio. Hæc mate-
ria cum hodie ex dudum disjectis rancidis
falsorum fratrum argumentis repetatur, o-
mnino cavendum est pie pro veritate locu-
turo, ne quicquam concedat, quod habeat
faciem collusionis, ne in levibus quidem, ut
videbuntur esse; nam admisio leviorum
controversiarum in assensum, facilem tenet
descensionem in consensionem erro-
rum majorum.

S. D. G.

gnam illorum loci consuevit redire; Alii
 sunt qui directe pugnant cum reuelata ve-
 ritate, & dilectis eius verbis; In prioribus
 potest per Christianam charitatem condonari
 lapsus, praeterquam praesens non deficiat
 in posteritatem tam nulla potest esse ratio
 communionis spiritualis, quam non potest
 cum tam tam condonari, & in unum re-
 duci; quod esset non nisi momentaneum
 aliud in omni iano iudicium. Haec mate-
 ria cum hodie ex dubio dilectis tantis
 saltem statim argumentis repetant, o-
 mnino cauendum est pie pro veritate locu-
 turo, ne quicquam concedat, quod habeat
 factum communionis, ac in scriptis quibus
 videtur esse; nam aduersus scripturam
 controvertitur in scriptum, factum tunc
 desensionem in consensionem esto.

S. D. G.

Coll. Diss. A 175, misc 15